

græco emédauit, legit ecclesia. Errôres præterea insignes ultra mil-
le & ducentos ex opere sustulimus: eos autem ex annotationibus,
quas in fine sexti uoluminis apponemus, uidere quilibet poterit.
Non enim satis nobis fuit sustulisse errores, nisi qua ratione sublatis
illi fuerint, demonstrarem. Postremo omnium, indicem locuple-
tissimum composuimus, in quo græca etiam, hebræaque nomina
posita a nobis sunt: hebræis tamen a Latinis; Græcisque seiunctis.
Hæc sunt Beatissime pater, quæ nos in D. Hieronymo elaborauimus.
Supereff, ut tam sanctum, atque utile opus, quod tuo nomi-
ni dicatum prodit in uulgus, ea animi pietate, qua sacrosanctam
Christi religionem amplecteris, ac foues, illaque uultus hilaritate,
qua uti Pastor uniuersalis ecclesiæ, omnes iuuas, suscipias, tuear-
isque. Habes enim Hieronymum huius Apostolicæ sedis stre-
nuum defensorem, & hæreticorum omnium acerrimum impu-
gnatorem, quem restitutum, pro ueritate inuenienda, in tanta re-
ligionis perturbatione, cunctis legendum præbere possis. Munus
enim Pastoris est (quod tu summa cum laude semper es executus)
sanam, catholicamque doctrinam, uti uitale ouium pabulum, po-
pulis sibi creditis exhibere. Et huius sanctæ sedis proprium est (di-
cente Christo ad Petrum: Ego autem rogauit pro te, ut non defi-
ciat fides tua: Tu autem aliquando conuersus confirma fratres
tuos) non solum non labi, sed et labentes alios retinere, prolapsosq.
erigere, & confirmare. At quis hac in re melius, eruditius, & ple-
nius iuuare sanctitatem tuam, quam unus potest Hieronymus?
In eum enim ita se cumulate omnes scientiæ contulerunt, ut non
solum illum catholici uenerentur, & hæretici extimescant, sed
quid ab eo ignoratum sit, nouerit nemo. Omitto uitæ sanctitatem,
qua illum uniuersus orbis semper est admiratus. Taceo ardentis-
simum eius contra hæreticos zelum: qui talis ac tantus fuit, ut nul-
la fere in his commentarijs inueniatur pagella, in qua eos acriter
non redarguat, in eisq. Nouatores nostri temporis non iugulet,
configatq. Quod autem nitidior, emendatiorque nunc pro-
deat in uulgus (quia tua id factum est opera) tibi omnis debet
posteritas, omnis te prædicabit ecclesia. Sublati sunt enim ab eo
omnes ferme, qui uel temporum iniuria. uel librorum imperi-
tia, aut impressorum incuria, & hæreticorum uafritia errores ir-
reperant-